

THESES,

QUAS

JUBENTIBUS LEGIBUS ACADEMICIS,

STIPENDIARIORUM AD ACADEMIAM
IMPERIALEM ABOËNSEM

EXERCITATIONI INSERVITURAS,

PUBLICKE PROPONIT

Mag. ERICUS GABRIEL MELARTIN,
S. S. THEOL. PROF. P. O., ACAD. IMP. H. A. RECTOR
ATQUE INSPECTOR STIPENDIARIORUM,

Respondente

ANDREA CHRISTIANO HACKZELL

STIPENDIARIO PUBL. WIBURGENSE.

In Auditorio Philosophico die VI Octobris MDCCXIX,

horis a. m. consuetis,

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

Thes. I.

Scite & apposite, pro more suo, Quintilianus: *Nisi funda-*
menta fideliter jeceris, quidquid superstruxeris, corruet. —
Parum proficient Studia Academica, nisi exhaustis funditus,
accurate & plene, prævia in Scholis eruditione, litterarum
elementis.

Thes. II.

Primaria institutionis scholasticæ momenta in studio Ma-
theseos, Auctorumque antiqui orbis, quos Clæsicos dicere so-
lemus, posita sunt. Neminem facile, quin exemplaria Græca,
saltim Latina, nocturna diurnaque versavisset manu, civitate
Academica donatum voluere majores nostri. Hac autem æta-
te, istas quippe ambages pertæsa, & illud, quod idemtidem
crepantes audies juvenesque senesque: *Utile, Practicum, Vi-*
tæ communi accommodatum, via, quam fieri posit, maxime
compendiaria, anhelante; dum adolescentibus, ad capessendam
republicam præcipiti cursu festinantibus, apertæ panduntur
fôres; nil mireris, si rarescere in dies solidiora in Academiis
studia obseruaveris.

Thes. III.

Quod si Medicus; præcepta Diætæ traditurus, homini
corpore sano atque vegeto, interdicto ciborum usu, ingentem
medicaminum vim, innumeris pharmacorum generibus deco-
ctam, obtruderet, eo scilicet consilio, quo omnibus ac singu-
lis, quotquot existant, morbis, in antecesum & uno quasi
ictu occurreretur; eundem vix mentis, nedum artis, compo-
tem quisquam judicaret. — Qui autem recentiori ævo institu-
tionem juventutis publicam eo detorserunt, ut, neglectis pri-
mum studiis classicis, defectus inde subortos constitutis dein-
ceps, atque ex immenso disciplinarum artiumque liberalium
campo in exiguum *Studiorum*, quæ *Practica* dicere amant, gy-
rum coætis Lyceis, Seminariis, aliisque ejusdem farinæ offi-
cinis, suppleri, hominesque adeo ad quævis vitæ socialis ne-
gotia ac munera administranda in antecesum conformari &
adæ

adaptari voluerunt; haud equidem scio, an multo prudentius
communi Reipublicæ saluti consuluerint.

Thes. IV.

Quemadmodum inepto & intemperato cibi potusque usu,
concoctionem sive digestionem alimentorum retardari & repre-
mi, functiones vitales perturbari, omnemque tandem corporis
organismum disolvi ac destrui, docet experientia; ita, simili-
fere ratione, innatas animo humano, sensimque semet exse-
rentes vires ac facultates, ubi multa multorum Auctorum he-
terogena scripta, absque modo, delectu, ordine & attentio-
ne, intempestive, obiter ac desultorie legeris, debilitari sen-
sim & suffocari animadvertes. Propullulantis nimirum ingenii
acumen obtundetur, phantasiæ inardescens igniculi restin-
guentur, & memoria, immodice onerata, vacillabit ac deficiet;
tandemque, post multos & inanes labores, nonnisi incerta
remanebunt vocabulorum vestigia atque confusæ rerum imagi-
nes, quas inter emergent forte — *rari nantes in gurgite va-*
fo — clariores interdum mentis conceptus & ideæ.

Thes. V.

Cum omnes, quæ in Academiis proponuntur & tractan-
tur disciplinæ, unum quasi organicum corpus, unumque syste-
ma constituant, arctissimo nexus junctum & concatenatum;
oppido patet, justam & accuratam Studii Academicci metho-
dum, nisi perspecta plene ac distincte illa, qua singulæ inter
se scientiæ cohærent, connexione atque affinitate, nec mente
concipi, nec verbis exponi posse. Hæc autem perspicientia
nonnisi assiduo & intentiori Philosophiæ studio paratur; quod
igitur a quovis Litterato, jubentibus etiam legibus Academi-
cis, primo merito loco erit colendum,

Thes. VI.

Prima & præliminaris quasi, Studiosi litterarum, Acade-
miam frequentaturi, opera in eo versetur oportet, ut, quem
se,

secum attulerit, diligentia scholastica collectum, sidaque memoria servatum, notitarum thesaurum acriter perquirat & severæ subjiciat censuræ. Ut enim introitus in Academiam demigratio est e domicilio tutelari pupillorum in stationem adulorum, pro suo jam jure agentium; ita idem transitum efficiat e cœca fide Magistris haberi solita, ad cognitionem & intelligentiam veri, suo cuiusque Marte parandam.

Thes. VII.

Quod alumni litterarum, tantum non omnes, quorum præcordia molliori luto finxit Minerva, in ipso Studii Academicī limine, ad castra Scepticorum transire obseruentur, id eo minus ægre ferendum, quo certius est, scientiam, hoc nomine vere dignam, argumentisque firmatam peruationem, non nisi antecedente dubitatione, suboriri & constitui posse.

Thes. VIII.

Duplex fere est via, qua ad laudem famamque eruditionis pervenire licet. Altera, notandis diligenter, excerptis, colligendis, memoriae infigidis atque per loculos quasi, unde tempestive deponi possint, reponendis alienis cogitatis, effatis, assertis; altera, cum, quæ legendo vel audiendo cognoveris, aut ipse observaveris, tuo deinceps Marte elaborare, intentiore meditatione persequi, causas rerum exquirere atque e detectis fontibus consectaria ipse derivare ac deducere annataris. Illa Eruditi formantur, alienis voluminibus onusti; hac, sagaces & acuti indagatores veri.

Thes. IX.

Dum homines, juvenili præsertim ætate, acerrimi plerumque & fervidissimi existunt *Jurium* suorum vindices, *Officia* autem sibi injuncta haud raro ægre ferunt, reformidant, averfantur; rem æqua lance non ponderant, nec secum reputant, summam atque caput jurium humanorum hoc ipsum esse, quod nos homines officii compotes simus, quodque, ut ait Cicero, *nulla pars vita officio vacare posse*.
